



PARS SECUNDA.

Exhibens

Ludovici Wolzogii, à doctrina ortho-
 xa, de S. Scripturæ Interpretatione,
 exorbitationes,

I.

Doctrinam de Interpretatione S. Scripturæ
 hæcenus traditam, quod ad summam rei,
 etiam se probare & admittere, videri vult
 Autor hic. Sed pro eo, quod illam fide-
 liter & perspicuè explicare, ornare, commen-
 dare ac defendere debebat: præsertim in
 congressu & disputatione cum adversario,
 qui eam non ignorat, ac tantummodo ex
 petulantia ingenii vellicat traducit & oppugnat; ipse, quasi cum eo
 aliquo modo conspirans, eam variis locis prostituit ac deserit, &
 conquisitis argutiis, subtilitatibus, distinctiunculis aut exceptiuncu-
 lis parvi momenti, eam involvit, confundit, obscurat, vellicat, ex-
 tenuat, & non solum Papiæ aliisque dissidentibus; sed ipsi etiam
 adversario suo, aliisque similiter affectis atheis & Libertinis, quo-
 rum impietas, maximè in hoc Belgium nostrum, velut in senti-
 nam quandam videtur confluisse, ut ipsemet p. 267. agnoscit & te-
 statur, suspectam ac contemptam reddit. Neque id sine aliquo
 probatorum Theologorum, qui doctrinam hanc proposuerunt
 ac defenderunt, contentu & contumelia.

N

Exorbs.